





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
GRADIBVS MALIGNITATIS
IN MORBIS MALIGNIS

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINAR.
ACAD. CAESAREAE NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE XXIII. AVGVSTI MDCCCXV.
H. L. Q. S.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

CHRISTIAN GOTTLIEB RVDOLPH
VRATISLAVIA SILESIVS.

HALAE AD SALAM
E TYPOGRAPHEO CVRTIANO.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
GRADIBVS MALIGNITATIS
IN MORBIS MALIGNIS.

PROOEMIUM.



Diu mihi cogitanti de Themate quodam, Dissertatione inaugurali haud indigno, tandem placuit Theoriae morborum malignorum generali gradus illorum adnectere. Ex observationibus, quae iam Medicinae tyronibus immotescunt, principia genuina formare, et illorum adplicationem rite instituire, animus mihi erat. Verum enim vero, cum non cuius homini contingat adire Corinthum, ego forsitan

etiam in re tam ardua non omnem exhausti laborem: Praecipue, cum ad veras morborum theorias condendas, quod me iudice neminem fugit, accuratae morborum historiae, observata, quae hypotesin auctoris non sapiunt, requirantur. Sed dolendum omnino est, quod illorum defectus limites nostris conatibus ponat haud transgrediendos. In theoriis enim condendis Medici sunt nimis prolixi, in quas insalutato limine irrumpunt: in observationibus autem rite institutis nimis rari. Sed in iis solis non acquiescendum est. Dantur enim et adhuc morbi fluidorum, qui perspicuam sibi postulant illorum mixtionis et mutationis cognitionem. Ad Chemicam igitur refugiendum erit. Sed eadem illa laboribus nostris defectus ostendit nocuos. Quis enim est, qui salium urinosorum differentiam specificam, quae tamen, experientia et ratione teste, inter illos intercedit, determinauerit, et extra omnem dubitationis aleam posuerit? Neminem certe hac in re Chemicorum inuenio multum ac solidum. Eadem autem illa et mihi impedimenta obiecerunt, quae dissiicere tempus et locus prohibuerunt. Feci igitur quae pro cognitione et viribus mihi concessis erant facienda. Quid humeri valeant, quid ferre recusent, ostendi. Vale Lector, mibique faue.

CAPVT

C A P V T I

D E

MORBIS MALIGNIS IN GENERE.

§. I.

Si cum scabie adfecto eodem tenetur lecto sanus, *Observatio.*
 Observatur quandoque, quod hoc ipso morbo, sine alia quadam causa ad corpus admissa manifesta, ille inquinetur. Atque idem quoque in per-
 multis aliis morbis fieri posse docet experientia, exemplo variolarum, quae ope insitionis ex vno corpore in aliud transferuntur.

§. II.

Ex §. praeced. facile colligi potest, *dari morbos, qui ex vno corpore in aliud transmigrant, seu, qui similem in alio corpore producere solent.* *Confectio.*

§. III.

Morbus, qui similem morbum in alio corpore determinare potest, dicitur *morbus malignus.* *Definitio morbi maligni.*

Possibilitas in Definitione adsumti ex §. II. patet; dum a rei existentia ad illius possibilitatem certissima est consequentia. Praeterea etiam probe conuenit definitio ista cum vsu loquendi inter Medicos semel recepto. Videre id licet ex notione morbi maligni ab III. PRAESIDE suppeditata in *Fundament. Patbol. general. Sect. I. Cap. VI. §. V.* vbi morborum malignorum formalitas in procliuitate ad corruptionem facileque inclinatione in putredinem, vitae et viribus infestissimam, ponitur. Atque ita omnino est, vt ob putredinem, in fluidis corporis humani subortam, morbi hanc indolem nanciscantur, quam definitio nostra, in §. proposita, indicat. *Luculent.*

culentissime id eo loco constabit, vbi de reali morborum malignorum definitione condenda solliciti erimus, nunc adhuc contenti sola nominali. Et haec iam sufficit ad morbum malignum a benigno distinguendum. Qua ipsa etiam notione vti solent in vita communi. Quando autem Medici nunquam de malignitate motuum in morbis differunt, vbi nempe summa pericula vitae aegri imminet, abuti tunc videntur termino fixi significatus. Videtur tamen translati huius termini ratio in eo sita esse, quia in morbis malignis vita aegri valdopere periclitari solet. Sed tum plures alii morbi ad malignos referendi forent, qui tamen in illorum serie non comprehenduntur.

§. IV.

*Ad quod
genus
summum
morbo-
rum mor-
bus mali-
gnus refe-
rendus sit.*

Morbus malignus fluidorum morbus esse debet. Morbus enim malignus sui similem in alio corpore determinare debet (§. III.); sed in corpus haud agi potest, nisi per motum (per princip. metaphys.). Ergo per motum morbus malignus alium producere debet. Id autem, quod per motum alium morbum producit, etiam ipsum in motu constitutum esse, et ex vno corpore ad alterum vsque moueri debet (per ead. princip.). Hinc consequenter idem etiam valebit de morbo, sui similem producente in alio corpore. Sed quia solida qua talia ex vno corpore ad alterum moueri haud possunt: sequitur inde, vt fluida hunc motum absolueri debeant. Ergo fluida tantum, quatenus ex vno corpore ad alterum mouentur, morbum producere possunt sui similem. Hoc modo itaque propositionis veritas elucescit.

§. V.

§. V.

Fluida corporis humani viui ita comparata, vt *Definitio*
 in alio corpore morbum sui similem determinare *miasma-*
 queant, *materiae malignae*, seu *miasmatis* nomine ve-
 niunt. *tis.*

§. VI.

Quot modi *possibiles sunt*, quibus fiat, vt *materia* Modi pos-
maligna ex vno corpore ad alterum transgredi possit; tot *sibiles*
 etiam modi *translationis materiae malignae* *possibiles erunt.* *transla-*
 Sed *materia maligna vel per transpirationem e corpore* *tionis ma-*
egredi, inque aërem eleuata aliud corpus adtingere potest; *teriae ma-*
 vel non in aërem eleuata aliud corpus *adgreditur.* *lignae.*

§. VII.

Quando *materia maligna*, per *transpirationem* *Quid per*
 in aërem eleuata, morbum sui similem in alio corpo- *morbum*
 re producit, *morbum malignum ab exhalationibus mali-* *ab exha-*
gnis ortum suum duxisse dicimus. Si autem *miasma* alio *latione et*
 quodam modo ad corpus ex alio corpore transfer- *trans-*
 tur, ita vt idem plane morbus suboriatur, ille mo- *plantatio-*
 dus translationis, *transplantationis*, nomen sibi vin- *ne intelli-*
 dicabit. *gatur.*

Nos equidem haud fugit, *transplantationis* terminum a nobis in
 latiori quodam significato acceptum esse. Nam in schola Me-
 dica tantum translatio materiae malignae variolosae transplan-
 tationis nomine insignitur. Interim tamen, quia nemo de-
 monstrare audebit, quod nullus alius morbus simili quodam
 modo transplantari possit, licet haec nondum a Medicis in-
 uenta sit transplantatio; neminem fore puto, qui nobis vitio
 vertat, quod transplantationis terminum in hoc significato
 sumserimus.

§. VIII.

§. VIII.

*Vbi mor-
bus ma-
lignus
quaeren-
dus.*

Morbus malignus in mixtione fluidorum corporis fitus est. Omnes enim fluidorum morbi vel illorum quantitatem, vel qualitatem respiciunt. Sed fluida, quatenus illorum quantitas morbum constituit, similem in alio corpore morbum producere haud possunt, (per princip. patholog.). Ergo morbus malignus ad fluidorum qualitates morbosas referendus erit. Qualitates autem fluidorum morbosae ad illorum mixtionem pertinent (per princip. pathol.). Vnde etiam morbus malignus ad fluidorum mixtionem pertinebit.

§. IX.

*Consecla-
rium.*

Mixtio igitur fluidorum in morbis malignis a statu sanitatis aliena, seu mixtio fluidorum deprauata, locum inueniet. Contrarium enim tibi concipias, in quo casu non erit morbus.

§. X.

*Similitu-
do mix-
tionis in
morbis
malignis.*

Mixtionem plane similem fluidorum materia maligna, ex vno corpore ad aliud delata, determinare debet. Morbus enim malignus sui similem producere debet (§. III.). Sed quia morbus malignus ad fluidorum pertinet mixtionem, et illa deprauata fluidorum mixtio morbum constituit (§. VIII.): hinc etiam, si idem morbus oriri debet, eadem vt in fluidis obtineat mixtio, necesse est.

§. XI.

*Ad morbi
maligni
ex alio
morbo*

Si quis ex morbo quodam maligno in alio corpore eundem plane morbum ortum suum duxisse asseruerit, illum oportet ostendere; I) fluidum, quod causam huius morbi produ-

producti in se continet, fuisse deprauatum (per §. VIII. maligno XI.); 2) hoc fluidum e corpore excretum; 3) ad illud cor- ortum in pus, in quo idem ortus est morbus, delatum; 4) corpus genere bocce contigisse (§. IV.); 5) per vasa inbalantia ad flui- quid re- dorum massam deuectum fuisse; et tandem 6) haec fluida quiratur. deprauasse (per §. X. et princip. physiolog.).

§. XII.

Morbus malignus est morbus fluidorum secretorum. Fluida se-
Omnia enim fluida vel sunt secreta, vel non. Flui- creta de-
dum quod non est secretum, dicitur sanguis (per prauan-
princip. physiol.). Sanguis autem qua talis per vasa rur in ma-
inhalantia ex corporis superficie haud deuehi potest lignis.
ad fluidorum massam: quare etiam sanguis huius cor-
poris humani viui, quatenus morbosus, non produ-
cere potest eundem morbum in alio corpore humano,
quia non deuehi ad massam humorum potest per vasa
inhalantia, quod tamen ad productionem morbi ma-
ligni requiritur (per §. ant. n. 5.). Fluida autem fe-
creta possunt reforberi a vasis inhalantibus. Ex quo
veritas patet Theorematis.

§. XIII.

Morbus malignus est morbus fluidi lymphatico-serosi. Cui fluida
Ad ingenerandum enim in alio corpore similem mor- morbus
bum requiritur, vt miasma e corpore excernatur, ex- malignus
cretumque ad aliud corpus deferatur (§. XI.). Vnde insit.
facile perspicitur, excretionem quadam peripherica,
feu quae in partibus corporis externis contingit, opus
esse. Quia autem in modo recensitis partibus nullum
aliud fluidum, quam lymphatico-serosum, excerni
potest;

B

potest;

potest: patet etiam, fluido lymphatico seroso tantum morbum malignum inexistere posse.

§. XIV.

Confectarium.

Quibus stabilitis nemo mihi negabit, morbum malignum in depravatione fluidi lymphatico-serosi consistere, (§§. IX. et XIII.).

§. XV.

Possibilitas putrefactionis, cuiusque effectus in s. b.

In omnibus partibus corporis humani, siue illae solidae fuerint, siue fluidae, putrefactio possibilis est; eademque suborta, generantur sales, iidemque vrinosi, siue alcalinae volatilis indolis. Adfertur veritas ex pathologicis et chemicis factis superque liquet, vt non opus sit peculiari demonstratione; dum res haec ipsa per communes quoque obseruationes constat.

§. XVI.

Definitio morbi maligni realis.

Omnibus iam adductis, quae ex morbi maligni definitione nominali erui poterant, licebit etiam mihi eius definitionem realem condere. *Putrefactio igitur fluidi lymphatico-serosi diuersorum graduum, morbum nobis constituet malignum.*

Realitatem huius definitionis euicturi, sequentia adnotabimus. Ex pathologicis patet, quod per contactum massae, in putrefactione iam constitutae, alia quoque corporis pars putrefactionem subire possit. Quapropter etiam fluidum lymphatico-serosum, in putrefactione constitutum, aliud corpus adtingens, et cum illius fluidis commixtum, in iisdem eandem putrefactionem determinare poterit. Impraesentiarum autem possibilitatem adsumtorum in definitione facili ratiocinio deduxisse

duxisse sufficiat nobis, quia ex subsequētib; luculentius adhuc adparebit, eiusmodi quid in rerum natura reuera existere. Quod autem possibilis sit putrefactio fluidi lymphatico-ferosi, id iam ex §. anteced. conspicuum est.

§. XVII.

In omnibus morbis malignis materia maligna in sale In quo alcalino volatili quaerenda erit. Nam morbus malignus *materia* in putrefactione fluidi lymphatico-ferosi consistit *maligna* (§. XVI.). Sed per putrefactionem sales alcalini vo- *consistat.* latiles excluduntur (§. XV.). Quapropter etiam in putrefactione fluidi lymphatico-ferosi idem fiat necesse est. Ex quo veritas theorematis fati luculenter euicta adparet.

§. XVIII.

In quocunque igitur morbo demonstrari poterit, in eo- Confecta- dem putrefactionem massae lymphatico-ferosae locum obtri- rium. nere, eundem ad numerum morborum malignorum referen- dum esse, in dubium vocare nemo audebit (§. ant.).

§. XIX.

Extra Dissertationis limites me vagari de gradi- *Scholion bus malignitatis morborum malignorum acturum, le- generale. etorum meorum quidam sibi forsitan persuadebunt. Sed qui sibi tantum ob oculos ponunt, quod in Theoria medica condenda, vti in aliis disciplinis philosophicis, a principiis initium faciendum sit, insituti rationem facile perspicient. Ad propositiones autem haecenus demonstratas quod adinet, illarum veritas ex pathologicis fati iam adparet, multoque euidētius in altera Dissertationis nostrae parte con-*

stabit, dum hactenus proposita ad obseruationes, tanquam ad lapidem lydiū, reuocabuntur.

§. XX.

Miscibilia
fluidi
lymphati-
co-ferosi.

Fluidum lymphatico-ferosum constat ex terra calcarea, oleo et sale communi, vel huius acido. Propositio quidem vltiori demonstratione carere posset, quia in corporis animalis Chemia illius veritas euincitur. Quo autem methodo nil derogetur, quae in hoc casu certitudinem principii huius maximi momenti postulare videtur, sequentia in medium proferre licebit. Terra calcarea obtinetur ex fluido lymphatico-feroso per euaporationem tractato. Olei autem praesentiam nemo in dubium vocabit, cui tantum oleum animale Dippelii haud ignotum est. Ad salis communis vel huius acidi existentiam quod adinet, illa frequentem in modum probari potest. Addatur fluido lymphatico-feroso solutio argenti seu plumbi. In vtroque casu solutio turbida fiet, colorem lacteum albescentem impetrabit, et paullo post praecipitatum subsidebit flocculentum, omni qualitate praeditum, quae Lunae corneae, aut Saturno corneo competit. Sed Lunae corneae, vel Saturni cornei ortus absque admixto sale communi, vel huius acido, impossibilis est, id praecipiente Chemia; adeoque et de salis communis, vel huius acidi praesentia in fluido lymphatico-feroso dubitari haud poterit.

In §. XVII. exhibuimus demonstrationem theorematis, quod nempe in morbis malignis miasma alcali volatile sit. Atque haec ex definitione morbi maligni reali deducta sunt. Nunc autem operae pretium erit, de procreationis huius salis possibili-

stabilitate, et quomodo ad actum deueniat, paucis differere. Ob quam rem me prius oportebat inquirere in fluidi lymphatico-ferosi partes miscibiles; vnde ratio propositionis in §.

§. XXI.

Ex terra calcarea ad certum vsque gradum sub-^{An in flui-}tiliata, oleo et acido, debitis proportionibus inter se ^{do lym-}intime commixtis, alcali volatile seu falem vrinofum ^{phatico-}oriri posse, Chemia docet. Eiusmodi autem misci-^{seroso sal}bilia, quae ad salis huiusmodi volatilis generationem ^{vrinosus}faciunt, fluido lymphatico-feroso inexistunt (§. ant.). ^{generari}*Quapropter etiam sales vrinosi fluido lymphatico-feroso in-* ^{possit.}*generari poterunt; suppositis nempe illis conditionibus, quae ad illius procreationem requiruntur.*

§. XXII.

Ortus salis alcalini volatilis in fluido lymphatico-feroso nullo alio modo concipi potest, quam per motum intestinum in miscibilibus dicti fluidi. ^{Quomodo}*In fluido enim lym-* ^{oriatur}*phatico-feroso mixtio destruitur, et nouum mixtum* ^{sal vrino-}*producitur per generationem salis alcalini volatilis.* ^{sus in flui-}*Quando autem in fluido sibimetipsi relicto, post de-* ^{do lym-}*structam mixtionem, nouum oritur mixtum, id per* ^{phatico-}*alium, quam motum miscibilium intestinum, fieri ne-* ^{seroso.}*quit (per princip. chem.). Miscibilium igitur motus intestinus ad salis volatilis exclusionem requiritur.*

§. XXIII.

In fluido igitur lymphatico-feroso fermentatio adsit, Idem v- ^{terius de-}*porrer.* Fermentationis enim nomine nobis venit, ^{termina-}*quando per motum miscibilium intestinum, destructo* ^{tur.}*priori mixto, nouum procreatur mixtum. Sed haec*

definitio competit modo productionis salis volatilis (§. XX.) in massa lymphatico-serosa. Ergo etiam eidem competit definitum. Liquet ideoque propositio.

§. XXIV.

Fermentescibilitas fluidi lymphatico-serosi. *Massa lymphatico-serosa est massa fermentescibilis.* Omnis enim massa fermentationis capax massa dicitur fermentescibilis. Fluidum autem lymphatico-serosum est massa fermentationis capax (§. anteced.). Hinc etiam massa fermentescibilis erit.

Definitiones quidem, quibus tanquam mediis terminis ad §§orum antecedentium demonstrationes vsi sumus, non suppeditaui-
mus, idque ideo, quia illae ex fermentationis doctrina, quae ad Chemiae tractationem pertinet, supponuntur. Neque etiam vitio nobis verti poterit, quod fermentationis nomine miasmatum productionem significauerimus; quum tamen in §. XVI. putrefactionis terminus vsurpatus sit. Est enim putrefactio fermentationis gradus. Et quia nullus alius fermentationis gradus in morbis malignis obtinet, quam ille, qui putrefactio dicitur, optimo iure eandem vocem adhibere licuit.

§. XXV.

Aliae definitiones reales morbi maligni. Ex haecenus de materia maligna demonstratis alias adhuc definitiones reales morbi maligni formare licebit, quae nostrae definitioni, in §. XVI. suppeditatae, substitui poterunt; exempli loco: *Morbus malignus est morbus, in quo miasma fluido lymphatico-seroso inexistit; seu morbus malignus est morbus fluidi lymphatico-serosi, qui productionem salis alcalini volatilis in se continet.* Miasmatum autem terminus ea ex causa adhiberi potest, quia iam illius notio distincta exhibitae est.

§. XXVI.

§. XXVI.

Miasma, quatenus mixtionem fluidi lymphatico-serosi Operatio alterius corporis ingreditur, et in illa sui simile producit, miasmata tenus tanquam fermentum considerari potest. Per motum enim fermentationis miasma in fluido lymphatico-seroso oritur (§. XXII. XXIII.). Fermentum autem dicitur, quod fermentationem in massa fermentescibili determinat. Quare si miasma per vasa inhalantia mixtionem fluidi lymphatico-serosi alterius corporis ingreditur, quando idem miasma in fluido produci debet, ut tanquam fermentum motum intestinum in massa excitet, necesse erit.

Hoc respectu etiam miasma seu materia maligna venit, quando in quibusdam vasorum lymphaticorum plexibus ortum, tandem per vniuersum systema vasorum lymphatico-serosorum distributum, eundem motum concitat intestinum, qui ad idem miasma toti corpori ingenerandum idoneus est. Quod autem eiusmodi mutationibus corpus nostrum obnoxium sit, Medicorum non solum obseruationes nos certiores faciunt, sed et illarum possibilitatem propositiones adductae docent.

§. XXVII.

Quare miasma, quatenus morbum in alio corpore producit eundem, alcali volatile eiusdem speciei producat necesse est (§§. ant. III. et XVI.).

§. XXVIII.

Quodlibet elementum miscibile determinata directione in linea in motu gaudet. Elementa enim corporum in perpetuo motu esse constituta, ex principis metaphysicis constat. Cum autem inter elementa diuersae

Elementorum
miscibilium
linea
directio

nis in motu. uersae obtineant relationes, quae partim in illorum situ, figura et motu diuerso consistunt, et hinc ipsa diuersa sint: facile concludi potest, eadem etiam respectu directionis lineae in motu diuersa esse.

§. XXIX.

Vnde similitudines miasmatis in motu. Productionis viuis eiusdemque miasmatis ab alio miasmate ratio dependet a linea directionis determinata miasmatis in motu. Miasma enim producitur per motum fluidi lymphatico-ferosi intestinum (§. XXII.). Quare non poterit non inde confici, miasma, ad massam lymphatico-ferosam quomodocunque deuectum, motum illum fluidi intestinum determinare debere. Sed hic motus intestinalis fluidi nullo alio modo inchoari potest, quam per motum miasmatis. Miasma igitur fluido lymphatico-feroso fano admixtum in motu esse debet. Quaelibet autem corporum elementa determinatam directionis lineam in motu agnoscent (§. anteced.): hinc etiam miasma et fluidi lymphatico-ferosi partes elementares. Quare, quum miasma cum partibus fluidi homogeneis eadem in motu lineam directionis seruet, fit, vt partes, ad generationem miasmatis pertinentes, maiori vi impellantur, et ad motum maiorem cogantur; ex quo illarum combinatio et miasmatis eiusdem generatio necessaria erit.

Ad maiorem perspicuitatem demonstrationi huius theorematis conciliandam, sequentia proponere haud incongruum erit. Sit, exempli gratia, linea directionis elementorum miasmatis plaga e diametro opposita. Nonne in hoc casu, si vires illorum in motu sunt aequales, contactus atque eorundem combinatio exspectanda erit. Idem haud aliter euenire posse veritati

ritati quam maxime consentaneum est, quando scilicet nullum impedimentum, seu aliorum elementorum motus, horum combinationem impediens, occurrit. Ope igitur eiusmodi accessus miasmatis ad fluidum lymphatico-serosum mixtio illius destruitur, quia plane noua elementorum relatio producitur.

§. XXX.

In antecedentibus ea tantum tractauimus, quae *Scholion* definitionis ope de morbis malignis cognosci possunt, *generale.* seu quae morbis malignis competunt, qua talibus. In genere enim de morbis malignis agentibus nobis, e re videbatur, magis generalia praemittere iis, quae ad differentiam illorum genericam spectant. Sed iam in eo est, vt omnem attentionem eo dirigamus, quo illorum diuersitatem perspicuam nobis reddamus. Inde enim dependent illorum gradus et effectus in corpore diuersi.

§. XXXI.

Observationis beneficio constat, dari morbos *Observatio* malignos, in quibus fluida magis viscida et inspissata adparent: exemplo luis venereae. Sed dantur etiam huius notae morbi, in quibus maxima fluidorum obtinet rarefactio: quorum pertinet pestilentia, immo etiam aliae species febrium malignarum. Confer. *Celeberr. SCHREIBERI Observat. et Cogitata de Peste, quae annis MDCCXXXVIII. et MDCCXXXIX. in Vraineria grassata est.*

XXXII.

Morbi, quorum materia maligna fluido viscido inhaeret. *Confecta* *ret,* morborum chronicorum; quorum autem miasma fluidum.

C

renu

tenui et rarefacto inest, morborum acutorum numerum subeunt (§. ant.).

Dari autem diuersos visciditatis et tenuitatis gradus, facile quispiam mihi largietur, qui ad diuersas fluidorum mixtiones attentus illarum causas introspicit. Diuersa enim miscibilium proportio, quae per cibum et potum diuersimode modificari possunt, ratione habita ad hominum determinaciones individuales, diuersum etiam gradum consistentiae inducere potest fluidis. Quapropter etiam innumerae relationes horum mixtorum corporis nostri oriri possunt, quae calculum plane subterfugiant. Dum praeterea propositio, in §. expressa, instar iudicii intuitiui, ab obseruationibus rite institutis conuenienter abstracti, considerari debet: illa iam loco veri principii cognoscendi in subsequentijs adhiberi poterit.

§. XXXII.

*Motus
progressi-
uus fluidorum
borum
consisten-
tiae re-
spondet.*

Consistentia fluidorum diuersa, diuersum etiam illorum sistit motum progressivum, seu motus fluidorum corporis nostri progressivus respondet illorum consistentiae. Fluida enim tenacia et viscida maiori cohaerent gradu, quam opus est ad illorum cohaesionem determinati gradus, qui obtinet in statu sanitatis. Vnde nullo cum impetu ad vaporum parietes allident, neque illorum systolen adaugere poterunt. Hinc illorum motus progressivus mirum in modum languescit. Fluida autem tenuia eodem plane modo peccant, licet non eadem ex ratione. Ob minimam enim illorum cohaesionem a leuissima vi resistente diuelluntur, & a parietibus vaporum mox retrofiliunt. Hinc in visciditate et tenuitate fluidorum certi gradus, motus illorum progressivus languescere debet. Sed haec languescencia fluidorum tenuium tantum obtinet in fluidis nondum deprava-

deprauatis. Concipias enim tibi, fluida acrimoniam quamdam prae se ferre, siue haec acidae, siue alcalinae indolis sit. Nonne in hoc casu, ob vasorum irritationem, valida illorum contractio necessaria erit, et hinc illorum celeritas et frequentia adparebit.

Vberiore huius propositionis demonstrationem suppeditauit Vir ad amplificandas Medicorum res plane natus, *Experientissimus* D. NIETZKI, in *Dissert. de Febris complic. Cap. I. §. IV.* Adprime etiam euicta cum obseruationibus congruunt. Iuuenem enim noui, cui sanguis e vena secta promanabat ita tenax et viscidus, vt filamentorum instar vulnere, venae inflicto, adhaereret. Paulo post, vulnere epistomio quasi obturato, sanguinis profluvium sponte cessauit. Pulsus huius iuuenis ita debilis fuit, vt vix tactu percipi potuerit. Quilibet iam mecum inde colliget, debilitatis in pulsu obuiaae rationem in sanguine viscido et tenaci sitam fuisse. Et nonne hic etiam motus sanguinis languescens locum inuenire potest? Ad tenuitatem autem sanguinis quod attinet, illius, ratione motus, effectus in dubium vocabit nullus, ad ea tantum attentus, quae de febribus acutis malignis Pathologia praecipit.

§. XXXIV.

In morbis malignis chronicis sanguinis circulus languescit, qui auctus esse debet in morbis malignis acutis. Diuersitas circuli sanguinis in malignis acutis et chronicis.
 In omnibus morbis chronicis malignis fluidorum ob-
 tinet visciditas (§. XXXII.). Sed in quocunque fluidum
 visciditas adest, idem illud fluidum motum etiam
 languescens et tardum absoluat, necesse est
 (§. XXXII. in *Demonstr.*). Quapropter etiam circulus
 sanguinis in morbis chronicis malignis tardus in con-
 spectum prodibit. Sed quia in morbis acutis malignis
 rarefactio adest sanguinis, cum miasmate coniuncta
 (§. XXXII.); atque sub ista fluidorum conditione il-
 lorum

lorum motus progressivus necessario adaugetur (§. XXXII. in *Demonstr.*): sequitur, vt in morbis acutis malignis auctus quoque circulus suboritur. Vnde veritas propositionis conspicua est.

§. XXXV.

*Circuli
augmen-
tum in
analignis
acutis vn-
de, et qua-
lis condi-
tio vaso-
rum.*

Circulus sanguinis auctus, in morbis malignis acutis, ab actionis vasorum frequentia dependet; interim tamen maxima simul vasorum obrinet debilitas. Nam in morbis acutis malignis vasa irritantur (§. XXXIII. in *Demonstr.*): vnde frequens illorum systole perficitur. Cum vero, praecipiente Physiologia, systolen arteriarum harum diastole sequatur: hanc quoque frequentem fore oportebit. Ex quo iam pulsuum necessariae frequentiae erunt. Enimvero solidorum debilitas duplici ex causa hic necessaria erit. Quia partim ob rarefactionem sanguinis maior aquae quantitas adesse debet, atque hoc modo relaxatio in fibris muscularibus oboritur; partim ob alcali volatile, in huius generis morbis praesens, cohaesio fibrarum per motum putrefactorium imminuitur. Sed in casu vtroque oboritur debilitas (per princip. pathol.). Ex quibus iam adparet veritas propositionis.

§. XXXVI.

*An obstru-
ctio vaso-
rum in
morbis
malignis
chronicis
et acutis?*

In morbis tam acutis, quam chronicis malignis, obstructiones possibiles sunt vasorum. De obstructione vasorum in morbis chronicis malignis nemo dubitabit, qui tantum ea, quae ad illam producendam valent, perspicit. Ex fluidorum stasi oritur obstructio. Hinc nobis demonstranda venit staseos possibilitas in
chro-

chronicis malignis. Stasis autem in quiete fluidi, per vasa vehendi, consistit (per princip. pathol.). Sed in morbis chronicis malignis iam obtinet fluidum iners ad transeundum vasa, quia est viscidum (§. XXXII.). Vnde coaceruatum in vase facillime stasin, ideoque simul obstructionem determinare poterit. In morbis autem acutis malignis ita se res habet. Vasa sunt admodum debilia (§. anteced.). Quapropter etiam distensionem parum resistere valebunt. Sed concipias tibi vas distensum in certo quodam puncto. Nonne fluidum ibi haerens stasin inde sibi inducet, et portione fluidiore relicta ac excussa, obstructio suborietur; idque eo magis, dum in putrida humorum constitutione, qualis in casu obtinet (§. XVI.), continuae fere sunt praecipitationes particularum terreorum. Vides ergo, quod tale quid possibile sit, salua etiam maxima fluidorum rarefactione. Constat ideoque propositio.

Confirmat id experientia, optima illa veritatis magistra. Vnde enim tam frequentes forent inflammationes in acutis malignis, nisi vasa obstruerentur? Vt de translationibus materiae febrilis ad loca glandulosa nil dicam.

§. XXXVII.

Omnes morbi maligni acuti febrem sibi comitem habent, chronici autem minus. Si omnia requisita, ad febrem corpori ingenerandam necessaria, in morbis acutis malignis deprehenduntur, illius ortus non potest non in lucem prodire. Ad febrem autem requiritur spasmus periphericus cum pulsû celeri ac frequenti (per princip. pathol.). Ergo demonstrandum

In quo morborum malignorum genere febris?

erit, quod spasmus periphericus in morbis acutis malignis determinari queat, eundemque sequatur pulsus celer ac frequens. Ad primum quod adinet, sequentia notari merentur. Possibiles sunt in morbis acutis malignis obstructions (§. XXXVI.). Posita autem obstructione, ponitur etiam distensio vasæ ante punctum obstructum. Posita vero distensione, ponitur etiam spasmus periphericus (per princip. pathol.). Ad pulsum vero celerem ac frequentem quod adinet, idem ille spasmus periphericus determinare eosdem valet. Præterea etiam iam euictum est in §. XXXIV. circulum sanguinis auctum obtinere in morbis acutis malignis. Sed in circulo sanguinis aucto determinatur pulsus celer ac frequens. Ergo idem illud requisitum febris corpori iam inexistit. Vides igitur, eiusmodi febrem typicam oriri posse, licet spasmus periphericus sæpe sit minimi gradus. Quamuis vero in morbis chronicis malignis spasmus periphericus aegris, propter obstructions in iisdem quoque possibiles (§. XXXVI.), suboriri debeat: ob nimiam tamen sanguinis inertiam et resistantiam in vasa, dum fluida adsunt viscida, febris repellitur, seu circulus sanguinis auctus, qui simul cum spasmo peripherico febrem constituit, imminuitur (§. XXXIV.), adeoque tantum sic dictæ commotiones febriles aderunt. Ex quibus iam liquida erit propositio.

Adprime applaudunt euictis obseruationes. In febribus enim malignis vltimum adsunt spasmi peripherici leuissimi, inhorrescentiæ minimi gradus, nihilo tamen minus eiusmodi circulus sanguinis impetuofus subsequitur, qui aegros in maximum vitæ periculum conicit. Quomodo autem determina-

tus

tus effectus determinatam causam sequi posset, nisi in vasis et fluidis ipsis iam alia huius impetus sanguinis causa lateret. Hoc modo igitur a causa composita oritur effectus, qui alias a simplici causa impossibilis esset. Ad febriles autem commotiones adtendentem, in morbis chronicis malignis, te non fugere debet, illarum diuersitatem attribuendam esse diuersis subiectorum aegrorum determinationibus individualibus, et diuerso tenacitatis fluidorum gradui. Principia autem, quibus ad demonstrationem huius theorematis condendam usus sum, noli tanquam inaudita proclamare. Confer. D. NIETZ-
KI l. c.

§. XXXVIII.

In morbis malignis solida debilitantur, et per modum Diuersi sepsios seu putrefactionis successiue destruuntur. Primum effectus huius propositionis membrum iam in §. XXXV. demonstratum est; quod ideoque ulteriori illustratione *miasma- tis in solida.* haud eget. Alterum autem Pathologia opitulante hoc modo in apicem ponitur. Physiologia docet, quod per adpositionem particularum fluidarum, nutritioni corporis dicatarum, volumen eius increseat, et solidorum defectus, ob continuum attritum ortus, iterum restituatur. Sed non poterunt non particulae alcalinae, fluido lymphatico-seroso adhaerentes, solidorum massae insinuari, cum ab hoc ipso fluido corporis nutritio dependeat (per princip. physiol.). Nonne autem hoc modo putrefactio in solidis oriri poterit? Nonne in iisdem idem ille motus intestinus (§§. XXII. et XXVI.) determinabitur? Accedit insuper perpetuus, ob motum humorum, attritus, quem vaforum parietes patiuntur, cohaesio illorum immittitur, ab interstitiis imbibitur miasma: quae immi-
nuta

nuta partium animalium cohaesio in omnibus obseruatur corporibus, quae in putrefactionem ruunt. Ex quibus manifesta est propositionis veritas.

Hanc solidorum putrefactionem non omnibus competere morbis malignis, mihi forsitan obiicies, prouocaturus ad casus. Sed dantur putrefactionis diuersi gradus, et imminuta cohaesio solidorum, quatenus a miasmate corpori inexistente determinatur, putrefactio iam est, quia primus putrefactionis gradus in ea consistit. Diuersos autem gradus ipsam rei notionem diuersam haud reddere, Logica rite instructus, ipse facile mihi concedes. Diuersam enim miasmatis quantitatem, in toto corpore aequaliter distributi; diuersam illius quantitatem in certis tantum vasorum plexibus latentis, diuersos etiam edere effectus, non est quod dubites. Sic enim miasma in coryza, quod quandoque obseruatur, nullum fere putrefactionis edere poterit effectum, quia quam facillime in auras eleuari potest, et cum muco excernitur. Sed catarrhus ad pulmones, per eius defluxum, delatus, inflammationem et corruptionem sphacelofam illis infert, testantibus obseruationibus. Sic quoque miasma fluidis rarefactis inhaerens, per motum vasorum, ferum excernentium, facillime per cutim transfudabit, & effectus putrefactionis minimos producet.

§. XXXIX.

*Effectus
miasmatis
diuersi
quid?*

Diuersitas effectuum miasmatis in corpore dependet, solidis adhuc integris, a diuersa solidorum qualitate. Sed diuersi fluidorum vel consistentia deprauata deprehenditur, vel illorum diuersitas in secretis diuersis in censum venit. In priori casu vel adest fluidum tenax et viscidum, vel nimis rarefactum: in posteriori autem, vel secreta magis apta sunt ad obuolutionem miasmatis, vel minus. In omnibus hisce enarratis casibus diuersi ut adsint miasmatis effectus, necesse erit. Per casus eundo demonstrationem

nem suppeditare mihi incumbit. Sit iam fluidum viscidum. Hoc modo autem obvoluitur materia maligna, et ad agendum iners redditur. Possibiles autem sunt obstructions (§. XXXVI.). Nonne hoc modo materia maligna impacta et ligata quasi fluidis stagnantibus inhaeret? Nullo igitur alio modo in hoc casu actiuitatem suam impetrabit, nisi per motum fluidi stagnantis intestinum. In quo casu vasa sanguinea defenduntur ab illius arrosione. Sit autem iam fluidum rarefactum et tenue. Aequaliter in hoc casu per vniuersum corpus miasma distributum, debilitatem ipsis tantum inferre potest; coaceruatum autem in quibusdam vasis, durissimos arrosionis effectus mox edet. Accedat autem iamiam miasma ad fluidum secretum, multis particulis terreis ac oleosis scatenens, et vis illius infringitur; nisi quod in fluido, quatenus stagnationem subiit, lente progrediens putrefactio determinetur. Sit autem aliud fluidum secretum, multis particulis salinis praeditum, in motu languescente constitutum: in quo casu subitanam et maxime nociuam vitae aegri corruptionem concipiet. Ex quo cuilibet a partium studio alieno adparet, diuersos miasmatis effectus fluidorum diuersitati tribuendos esse.

Probe in sententiam meam abeunt historiae morborum malignorum, quas in Pathologia deprehendis. Scorbutus enim, nefandum illud nautarum et regionum maritimarum flagellum, cum adfertis in §. plane conuenit. Miasma enim in fluidis et solidis, iam particulis alcalinis refertis, ob illorum ciborum usum, qui fermentatione magis putredinosa concoquuntur, diuam in illis exserit saeuitiam. Eiusmodi enim impetuosa et vniuersalis in subiectis hoc morbo decumbentibus generatur

D

putre-



putrefactio, ut tibi cadaueribus iam semiputrefactis similes videantur aegri. In lue autem venerea, quam furtivae ac impurae Veneri debent miseri, aliter se res habet. Lento enim gradu incedit putrefactio. Glandulas successivae in perniciem trahit, donec tandem, longo temporis intervallo, ossa etiam ipsa successivae consumat; dum e contrario, ex scorbuto decumbentes, summo impetu et vno quasi ictu corripuntur a putrefactione, omnibus corporis partibus simul interitum minitante.

§. XL.

*Effectus
miasma-
tis diversi
in diversi
vasis.*

Miasma in vasis sanguineis inflammationes, in vasis autem lymphatico-serosis obstructionem et putrefactionem fluidi stagnantis producit. In quocunque morbo possibilis est obstructio et distensio a sanguine facta in vasis, in eodem etiam possibilis erit inflammatio (per princip. pathol.). Sed in morbis malignis possibiles sunt obstructiones (§. XXXVI.). Ergo etiam inflammationes possibiles erunt. Evictum porro ficit §. XXXVIII. quod in morbis malignis partes solidae putrefactione destruantur. Vnde necessum erit, ut fluida stagnationem, atque ab ista pendentem motum intestinum putrefactorium subeant. Dum vero in morbis malignis massae lymphatico-serosae adhaeret sal alcalinus volatilis (§. XXV.), instar fermenti considerandus, quod excitare valet putrefactionem (§§. XXVI. et XXVII.): sequitur, ut in vasis quoque lymphatico-serosis oriatur putrefactio. Ex quibus patet propositio.

§. XLI.

*Confecta-
rium.*

Quia glandulae omnis generis ad organa fluidum lymphatico-serosum secernentia pertinent, et circulus

lus humorum in iisdem valdopere languescit (per princip. physiol.): sequitur, vt dictae etiam partes in morbis malignis haud mediocriter adficiantur (§. ant.). In quibus ideoque, vt et in aliis partibus exsanguibus necessario fieri debent stagnationes putridae (§. cit.). Porro etiam in visceribus locisque periphericis facile orientur inflammationes (§. cit.).

In hoc etiam casu experientia confirmat Theoriam. Prae omnibus enim reliquis morbis febres malignae pronissimae ad procreandas inflammationes deprehenduntur, teste Pathologia. Ulcera autem qualificata in scabiosis et lue venerea adfectis, eandem plane veritatem probant. In idem insuper consentiunt varia illa exanthemata, quae varia sub specie in cute adparent in febribus malignis. Quoniam fluida non destituta sunt sale alcalino volatili in morbis malignis, hinc iuvabit hoc loco experimentum illud recensere, quod habetur in Illustr. BOERHAAVJII Elem. Chem. Tom I. Part. II. p. m. 804. Edit. in 4t. Ita enim Vir summus: Dum alcali purum urinae calidae applicatur cuti sanae, moxque tenaci tegitur emplastro defuper, oritur vno temporis momento ardor, dolor, inflammatio, eschara nigra, gangraenosa, breuiter in ossa usque erosio. Constat inde fat euidenter, quanta sit huius genii salium efficacia in corpore nostro.

§. XLII.

In omnibus febribus maior coaceruatio sanguinis in encephalo obtinet (per princip. pathol.). In febribus autem malignis acutis vasorum adest debilitas (§. XXXV.), et sanguis adparet rarefactus (§. XXXII.). Qua ex causa maior aderit distensio vasorum in encephalo in febribus acutis malignis, quam in omnibus reliquis febribus. Nonne vero inde ve-

mentissima' deviuanda erunt deliria in quibusdam febribus malignis conspicua? Summa virium prostratio, inexplicabiles cordis angores, ab eadem debilitate vasorum ortum suum ducent.

§. XLIII.

*Scholion
generale.*

Ita omnia, quae in morbis malignis occurrere possunt symptomata, intelligibili modo ex Theoria in antecedentibus stabilita, quibusdam in auxilium vocatis, quae in februm Pathologia generatim traduntur, explicari possunt. Multa quidem egregii usus adhuc in medium proferri possent, quae ad morborum malignorum differentiam, quoad illorum varia symptomata, exanthemata et diuersos in corpore effectus, spectant. Instituti autem ratio, quae Theoriam postulat tantum generalem, prohibet, quominus de specialioribus proponendis sim sollicitus. Ad morborum malignorum diuersos gradus pedem iam moueo, generalia iterum specialioribus praemissurus.

C A P V T II.

DE

GRADIBVS MALIGNITATIS IN
MORBIS MALIGNIS.

§. XLIV.

Observatio.

In scabie pustulae prurientes in cute conspiciuntur. In lue autem venerea ulcera pessimae indolis glandulosas et musculosas destrunt partes, immo ossa ipsa a putredine corripuntur. Gonorrhoea maligna,

signa, vt et fluor albus malignus eodem miasmate venereo adgreditur tantum partes genitales. In lue venerea multum requiritur temporis ad destructionem partium solidarum; sanguis ipse non spargit foetorem. In scorbuto autem sanguis et omnia fluida secreta cadauerosum spirant foetorem, et solida citius putredine solvuntur. Febris purpurea alba summis deliriis et summa virium prostratione stipata incedit; febris autem scarlatina minus.

§. XLV.

Si in morbis sub eodem genere constitutis diuersae dantur extensiones et magnitudines: diuersi etiam iisdem competunt gradus. De morbis autem malignis hoc valet (§. ant.) Ergo morbis malignis diuersi competunt gradus, seu in morbis malignis diuersi gradus sunt possibiles.

Quod in morbis malignis diuersi gradus possibiles sunt.

Quod autem ab extensione et magnitudine morborum, corpori inexistendum, ad gradus illorum concludere liceat, ex eo patet, quia ab effectu ad causam colligi potest (per princ. philosoph.). In hoc casu autem morbi maligni extensio et modus, quo se extendit, ad tempus relatus, in quo illa morbi extensio fit, tanquam effectus, a miasmate, tanquam a sua causa, dependentes considerari possunt.

§. XLVI.

Ex morbi extensione et tempore, quo vititur morbus malignus ad sui extensionem, gradus malignitatis aestimandi sunt. Malignitas enim morborum est ea fluidi lymphatico-serosi adfectio, vbi illud, aequae ac aliae partes in corpore humano, per modum putrefactionis, accedente miasmate, destruitur: seu malignitas

Principium diiudicandi diuersos malignitatis gradus.



confistit in putrefactione (§§. XXXVIII. et XVI.). Quia autem ab effectu ad causam concludi potest (Schol. §. ant.); atque in extensione ac tempore, quo vtuntur morbi maligni, ad facultiam suam in corpore exercendam, latent effectus: hinc ex extensione et durationis tempore quoad incrementum summum ad gradus malignitatis conici poterit. Vera igitur erit propositio.

Hoc generale principium cognoscendi malignitatis gradus, alia etiam sub se comprehendit, quae sensim sensimque in subsequentibus euoluentur.

§. XLVII.

Gradus
diuersi
morbo-
rum ma-
lignorum,
ratione
temporis.

Quo maius temporis spatium in morbo quodam maligno requiritur ad putrefactionem per totum corpus, in omnibus eius partibus, miasmatis ope distribuendam: eo minor malignitatis in eodem obtinet gradus. Quo minus autem temporis spatium ad putrefactionis distributionem per totum corpus necessarium est: eo maior malignitatis gradus aderit in morbo maligno. Graduum igitur malignitatis magnitudo in ratione inuersa ad tempus distribuendae putrefactionis erit. Malignitas fluidorum putrefactione illorum absoluitur (§. XVI.). Sed et solida ab eadem corripuntur (§. XXXVIII.). Si igitur haec putrefactio lento gradu incedit, causa etiam huius lenti progressus adit oportet: quae in qualitate et quantitate miasmatis rationem suam sufficientem agnoscit. Hinc vel parua miasmatis quantitas, vel illius qualitas ad actionem producendam aliquo modo iners, culpanda erit. Ob actionem igitur minorem malignitas minoris etiam gradus aderit; siquidem effectus semper

per respondet causæ. Sed eodem plane modo se res quoque habet cum altero propositionis membro. Sub enarrata enim hypothési minus temporis spatium requiritur ad distributionem putrefactionis. Sed quia effectus causam sibi proportionatam agnoscit, isque si maior fuerit, in minori temporis spatio maiorem desiderat vim (per princ. Mechan.): in hoc etiam casu maior malignitatis gradus obtineat necesse erit. Extra dubium itaque posita erit propositio.

§ XLVIII.

Posita diuersa quantitate, ponitur diuersa fluidorum actio in hoc casu illam determinantium (per leges motus). Hinc minor quantitas miasmatis in dato tempore minorem actionem seu putrefactionem perpetrabit; atque in eodem tempore maior miasmatis quantitas maiorem actionem edet. Diuersa igitur malignitas, seu differentes illius gradus dependere possunt a diuersa miasmatis quantitate (§. ant.). Sed ad qualitatem miasmatis quod adinet, a diuersa illius agilitate diuersa malignitas dependet; quæ vel in illius mixtione latet, vel in illius modificatione per fluida corporis humani. Ad mixtionem si attendis, vel terra calcarea, vel acidum, vel phlogiston abundare potest. Nonne autem hinc diuersa agilitas, et modus agendi differens? Sic enim miasma, in quo phlogiston, omnium agilissimum; in quo acidum, maxima arrodendi vi præditum; in quo terra, maxima inertia ad agendum erit. Iam autem ad illius per fluida modificationem mentem tuam dirigas. Nonne in fluido viscido iners ad agendum redditur; in fluido autem

*Aquanam
caussa
maligni-
tas maior
et minor
depen-
deat, ad
tempus
distribu-
tionis per
corpus re-
lata.*

autem tenui, agile; in fluido tandem celeri motu agitato haud ita nociuum, nisi forte ex causa complicata enascitur? Vides igitur, a qualitate etiam diuersa, diuersos malignitatis gradus pendere.

Verum quidem est, propter rei ipsius notionem, diuersam malignitatem dependere posse a diuersa miasmatis mixtione. Interim tamen in casu dato non adplicari potest propositio, quia sensus nostros et experimenta chemica fugiunt, ob materiae subtilitatem. Nil tamen obstat, quo minus illam diuersam mixtionem possibilem miasmatis adducam, quia tam in obseruationibus medicis, quam etiam in experimentis chemicis dies, vt aiunt, diem docet. Principium igitur cognoscendi haud inutile in medium protulisse mihi videor. Reliqua propositionis membra in cognitione diuersorum malignitatis graduum omnino in usum vocari possunt.

§. XLIX.

Gradus diuersi morborum malignorum ratione extensio- nis.

Morbus malignus vel in omnibus corporis partibus saeuiri- am suam exercet, vel saltem in quibusdam. In priori casu erit malignitatis gradus maior; in posteriori autem minor. In quocunque morbo maligno maior adest miasmatis copia, in illo etiam maior malignitatis gradus (§. ant.). Sub hypothesi autem membri primi propositionis, putrefactio in omnibus corporis partibus saeuit. Ergo etiam maior miasmatis copia exclusa deprehenditur: ideoque malignitatis gradus maior esse debet. Altera propositionis pars eodem modo patet. Dependet enim putrefactio, seu effectus, a minori causa: hinc etiam malignitas minoris gradus sit, oportet (§. cit.). De veritate itaque propositionis dubitari nequit.

§. L.

§. L.

Causa maioris vel minoris extensionis morbi maligni diuersis concipi potest modis. 1) Fluidum diuersis gradibus attenuatum materiam malignam per contrarium circulum in omnes partes deuehere potest. 2) Fluidum inspissatum, in certis vasorum plexibus, cui accedit miasma, illud retinet, et si locus excretioni aptus est, parim exterminatur ex corpore, parim etiam in eodem fluido haeret. Consistentia igitur fluidorum diuersa, diuersam extensionem morbi producit. Praeterea autem eadem causae concurrere possunt, quae in §. XLVIII. exponuntur.

§. LI.

Hoc modo igitur principia generalia, ad recte diiudicandos morborum malignorum gradus stabilita, sufficiunt. Restabit nunc, vt speciminis loco quaedam proferam, vnde constet, quomodo generales propositiones de gradibus morborum malignorum euictae, ad casus obuios rite adplicandae veniant.

§. LII.

Morbi acuti maligni, malignitatis gradu superant morbos chronicos malignos. Plus enim temporis requiritur ad miasmatis distributionem per vniuersum corpus in morbis chronicis malignis, quam in acutis. Extensio etiam miasmatis maior est in acutis, quam in chronicis malignis. Nam omnia vasorum genera in morbis acutis malignis primo putrefactionis gradu adficiuntur, imminuta scilicet cohaesione. Quia autem ex distributionis tempore et morbi extensione

E

gradus

gradus morborum malignorum aestimantur (§. XLVI.), et morbus eo malignior est, quo breuius; e contra-
ria parte non ita malignus haberi potest, quo longius
temporis spatium ad sui distributionem ac extensio-
nem requiritur (§. XLVII.): sequitur inde, vt etiam
morbi acuti maligniores sint chronicis; vel, quod
idem erit, morbi acuti maligni malignitatis gradu su-
perabunt morbos chronicos malignos.

Ex §. exhibitō cuilibet videre licet, quod ille, qui gradus di-
uerforum morborum malignorum rite diiudicare cupit, mor-
borum historias probe callere debeat. Sicuti enim illae, in
omnibus morbis distinguendis et cognoscendis, fili Ariadnei in-
star nobis inseruiunt, ita etiam in diiudicandis morborum gra-
dibus iisdem carere non possumus. Requiritur porro etiam
ad graduum diiudicationem, vt notiones morbi maligni et
acuti probe a se inuicem distinguamus. Acuti enim morbi
notio febribus malignis competit, ob humorum malignitatem,
quae in relatione causae ad effectum considerari debet. Quod
autem celer illarum decursus et vitae aegri periclitatio a mali-
gnitate dependeat, in antecedentibus iam euictum est.

§. LIII.

Scabies non tanto malignitatis gradu stipata incedit,
quam lues venerea. In scabie enim glandulae cutaneae
tantum adfliguntur; dum e contrario a lue venerea
non solum illae glandulae, sed etiam aliae, immo
ossa ipsa corrumpuntur (per princip. pathol.). Sed
quia ex extensione morbi, magnitudo malignitatis
diiudicatur (§. XLVI.), et in lue venerea maior ex-
tensio praesto est: sequitur, vt lues venerea maio-
rem prae scabie sibi vindicet malignitatis gradum.

§. LIV.

Gradus
maligni-
tatis in
scabie et
lue ven-
erea.

§. LIV.

Purpura alba gradum malignitatis maiorem agnoscit Purpurae albae prae purpura rubra. In purpura enim alba maior vi-
 rae albae rium prostratio deprehenditur, quam in purpura ru-
 bra. Angores etiam circa praecordia gradu diffe-
 runt (per princip. pathol.). Adest igitur maior ex-
 tensio morbi, hinc maior gradus malignitatis in pur-
 pura alba (§. XLVI).

§. LV.

Scorbutus est morbus malignitate minor febre scarla- Scorbuti tina. Scorbutus est morbus chronicus; febris autem
 et febris scarlatina acutus. Sed iam in genere de morbis chro-
 nicis demonstratum est, quod minorem malignitatis
 gradum prae se ferant, quam acuti (§. LII.). Quic-
 quid autem de genere valet, illud etiam de quacun-
 que specie, sub eodem genere contenta, valebit
 (per princip. log.). Quare etiam scorbutus morbus
 malignus minor sit, oportet, ratione gradus maligni-
 tatis, quam febris scarlatina.

Absonum quidem quibusdam videri posset propositionis adfer-
 tum, quia in pathologicis huic febre perexigua tantum mali-
 gnitas attribuitur, cum tamen horrendi illi effectus scorbuti in
 corpore omnium notissimi sint, eadem Pathologia praecipien-
 te. Sed attentus ad ea, quae in febre scarlatina occurrunt,
 facile mihi largietur, maiorem malignitatis gradum in illa ob-
 tinere posse. Per excretionem enim periphericam, quous
 insultu febrili, magna miasmatis copia e corpore extermina-
 tur, ita, vt illi miasmatis effectus putrefactionis non in lucem
 prodire possint, qui tamen euidentiori modo in scorbuto ad-
 parent. Hoc modo igitur breui huius febris decursus tempo-
 re maior miasmatis copia generari poterit, quam in scorbuto;

licet illius effectus per eliminationem e corpore impediatur. Accedit insuper, quod tempus distributionis miasmatis angustis limitibus sit inclusum, qua ex causa etiam euidentiore malignitatis gradum exhibet.

§. LVI.

*Scholion
generale.*

Sufficiant haec, quae ad Theoriam de gradibus malignitatis illustrandam et adplicandam communicare mecum constitui. Quilibet iam ex exemplis propositis videbit, me adduxisse omnia, quae ad cognitionem malignitatis in genere in omni casu sufficiunt. Instituto igitur meo satisfecisse mihi viderer, nisi iuraret, horum morborum Therapiam a priori, vt aiunt, deducere; quo etiam ex isto casu cuilibet constet, quod Theoria pathologica, certis principiis superstructa, in praxi minime omnium sit contemnenda.

CAPVT III.

DE

DIVERSITATE THERAPIAE
IN MORBIS CHRONICIS ET ACVTIS
MALIGNIS.

§. LVII.

*Ratio di-
uersitatis
in appli-
catione
Thera-
piae.*

Therapiae est mederi morbis; hinc statum praesentem morbosum vel plane tollere, vel saltem mitigare. Pro diuersitate igitur status corporis, diuersi modi adbibendi erunt, ad tollendos, vel saltem mitigandos morbos.

§. LVIII.

§. LVIII.

In morbis chronicis et acutis malignis obtinet corporis habitus diuersus (§. XXXII. XXXIV. et XXXVII.). Quare etiam diuersa medendi methodus iisdem opponi debet.

Diuersitas Therapiae in casu praesente unde?

§. LIX.

In morbis chronicis malignis postiuè resoluentia conducunt, in morbis acutis minus. Nam in morbis chronicis malignis miasma fluidis viscidis inhaeret (§. XXXII.), quae lento putrefactionis gradu successiue destruantur. Visciditas autem fluidorum sui resolutionem postulat, atque ista nullo alio modo melius obtineri poterit, quam usu positiue resoluentium, quippe quae pituitam colliquant. Miasma enim in chronicis malignis neque excernitur, neque in melius mutatur, quamdiu pituitae impactum haeret. Sanguinis etiam circulum incongruum haud reddere possunt fortiora resoluentia, quia fluidum ad mouendum iners corpori inexistit (§. XXXIV. in Demonstr.). In morbis autem malignis acutis optime rebus aegrorum prospicit Therapeuta, ad humorum rarefactionem, motumque illorum auctum attentus (§§. XXXII. et XXXIV.). Liberum ideoque in humoribus miasma hic magis curandum, et dein excernendum erit; ne sanguini ebullitio inducatur (§. XXXV. in Demonstr.), id quod optime impetratur per humorum diluitionem et obuolutionem. Vnde in isto casu aqueorum, cum acidis maritatorum, mucilaginosorum, terreorum, blandique diaphoreticorum usus erit eximius. Ex quibus itaque liquida erit propositio.

Differens curatio in malignis chronicis et acutis.

§. LX.

*Scholion
generale.*

Exempli causa haec tantum adicere conatus sum, quo adpareat, Theoriam, hypothesi naturae accommodatam, multum valere ad inveniendas indicationes therapeuticas. Huius enim ope ea facili ratiocinio deduci posse constat, quae experientia multorum seculorum Medicos tandem docuit. Quum praeterea hoc loco de differentia methodi medendi morbis malignis chronicis et acutis solum fermo sit: ea neque a me indicari debebant, in quibus curatio utrorumque horum morborum conveniat. Quorsum exempli causa pertinerent applicationes corrigentium putridam humorum constitutionem, roborantium vires aegri, et plura huius indolis alia. Multo minus hic opus erit longa enarratione remediorum usurpandorum. Nam haec ad specialiora pertinent: sed praesentis instituti est in generalioribus subsistere. Vnde iam Dissertationi meae impono

F I N E M.



SVPRE-

SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM

CANDIDATO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Non nudius tertius vsurpatum est iamque in proverbum venit: bonum Theoreticum malum esse Practicum. Quod quidem de medico valet, instructo Theoria signentorum terminorumque plenissima, quibus solum notiones obscurae, ne dicam saepe deceptrices respondent. Ibi enim ad modum compositionis in corpore humano obuium animus parum dirigitur; praeteruidentur obortae in eodem mutationes, de quibus ope obseruationis constat; negliguntur iudicia inde recte formanda, connectendaque cum certis aliis cognitionis humanae principiis: sed potius opinionibus conceditur locus sine omni consideratione, vtrumne illas quoque natura ad sensu suo excipiat. Talis iam Theoria Medica nec applicari, nec applicata utilis esse potest; dum in eadem partim obscura et vaga, partim huius generis continentur, quae ab instituto naturae abhorrent. Unde diuortia illa inter Theoriam Medicam et Praxin! Et si cuiusmodi Medicus Theoreticus felix Practicus esse velit, necessum erit, ut caecam, quemadmodum aiunt, empiriam sequatur. Verum enim vero longe aliter comparatum erit cum illa Theoria Medica, in qua secundum M. HIPPOCRATEM non nisi ab homine deprompta ad illum applicanda comprehenduntur. Etenim in huius indolis Theoria omnia conditionibus naturae conuenienter perspicue deducuntur, nihilque in eadem admittitur, quod vel essentiae corporis humani, vel obseruationibus, vel aliunde certo cognitis repugnaret. Atque hoc modo instructa doctrina corporis humani solum sibi optimo iure vindicabit nomen Theoriae Medicae: cuius quoque applicationem et facilem, et
eximii

eximii usus fore, nemini dubium esse poterit. Liquet iam exinde, quid Medici Theoretici nomine venire, quantumque illum Theoria in exercitio artis iuuare debeat. Ut hic se res omnino ita habeat, prout idem ipse modo allegatus Summus artis salutaris Stator iudicat: qui sufficit ad cognoscendum, sufficit etiam ad sanandum. Sed quousque haec disputo? dum rem propositam breuius expedire possum. Nam TVO exemplo probas, DOCTISSIME CANDIDATE, perquam tenuem esse vim prouerbii superius adducti. Sat arduum est argumentum, quod in Dissertatione TVA inaugurali pertractasti: de quo nemo istarum rerum gnarus dubitabit. Theoriam namque malignitatis diuersorum graduum, in morbis malignis obuia, haud inuita Minerva, modoque plane perspicuo tradis deriuatam ab obseruationibus, nexam cum aliis principiis certis, stipatamque illis regulis, quae inde necessario fluunt ad sanationem, longo usu Medicorum probatissimae. Neque aliud, quam ita egregium eruditionis TVAE specimen ab ingenio TVO, ad quacuvis magna nato, expectari poterat. Maeste igitur esto ista animi virtute! Ita necum omnes boni sentient, qui TE penitus noscendi occasionem habebant. Integrae profecto chartae laudibus TVIS destinandae essent, si diligentiam TVAM in studiis, si felices TVOS successus in persanandis aegris, si denique morum TVORVM probitatem verbosius enarrare vellem. Sed quia iam omnia in festinatione sunt ad sollempnitatem illius diei, ubi TIBI nempe summi illi honores artis ab AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN REGIA FRIDERICIANA decreti conferentur: liceat igitur mihi nunc breuibus TECum loqui, idque per eam, quae inter nos nata est, amicitiam; quam primum id declarauerim, quod ego mihi valdopere gratuler de tam praeclearae indolis Auditore. Quemadmodum TIBI iam vere gratulor, AMICISSIME RVDOLPH, promeritam Doctoris dignitatem: ita simul ex animo precor, vt hancce status TVI mutationem continua quorumuis bonorum series consequatur. Plura coram in conspectu publico litterario: dum mihi quoque Opponentis spartam contulisti. Quod restat, perge me amare. Vale. Dabam in Acad. Frider.

XII, ante Cal. Septembr. A. R. S. c1010CLV.



Halle, Med. Zp. 505 ... 1755-56

ULB Halle 3
002 830 698



Sh

Retrad







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
GRADIBVS MALIGNITATIS
IN MORBIS MALIGNIS

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINAR.
ACAD. CAESARAEAE NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE XXIII. AVGVSTI C1810CCLV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIAN GOTTLIEB RVDOLPH

VRATISLAVIA SILESIVS.

HALAE AD SALAM

E TYPOGRAPHEO CVRTIANO.